

est incidere in manus Dei viventis; non debet ergo homo seipsum ulcisci: quia hoc esset præripere, & invadere officium Dei, de eiusque vindictâ confidere, quæ tanta erit, ut potius commiseratione & compassione digni sint, qui cum nobis leves iniurias irrogant, in manus Dei ventis & irati incident, in quas horrendum est incidere. Experientur enim non humanam, sed divinam, Deoque dignam ultionem. Porro hæc solummodo concernant privatas personas; non verò publicas, quæ vindicant Republica iniurias, & improborum peccata nomine Dei, ut patet Rom. 13. ubi ait Apostolus ipsas esse vindices Dei in iram. Videatur Rangolius circa finem, nec non Voetius & alij. De reliquis ira, invidia & similibus vide Moralistas.

## CAPUT VI.

### DE PRÆCEPTO SEXTO.

*An Præcepto sexto aliquid sit additum in N. T.  
à Christo, & quid de Adulterio per solam concupiscentiam  
ex alienæ aspectu commissio, sit adhibendum.*

**A**dulterium solâ concupiscentiâ commissum quod atinet, de eo ita Ostor. Instit. Germ. cap. 24. pag. 158. num. 1. Wo ist im alten Gesâß gesagt / daß das Anschauen eines frembden Weibes / sie zubegehren / Ehebruch sey. Derohalben / weil solches nicht kan gezeiget werden / folget / daß Christus das Gebott viel vollkomner gemacht hab / etc. Resp. idem præceptum etiam in Veteri Testamento viguit, quod patet I. ex Exodi 20. v. 17. Deut 5. v. 25, Non concupisces uxorem proximi tui. De quo ita Soc. in expl. cap. 5. Matth. pag. 88. Sanè jam in ipsa Mosis lege expressè vetitum erat, alterius uxorem concupiscere. Quare, si id modò Christus dicere voluisset, nec quidquam novi dixisset, &c. pag. 89. Moses, quamvis cupiditatem istam disertè prohibeat, &c. Cui adijunge Deuter. 27. v. 26. Maledictus, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis hujus. Ha-

D d d d d d d 3

bes